

nus, non prohibetur vendere emphyteuticum cum eponematibus, sive melioramentis. *Ibid.*

Dixi tamen 1^o. *Emptorem*; quia, etsi dominus ipse rem emphyteuticam redimere nolle; ejus tamen interest scire, ad quem res sua deveniat, ne ejus conditio reddatur difficilior; unde si sine scitu domini directi venderet personis prohibitis, quales hic censentur valde potentes, curiales, valde pauperes, œconomi ignavi, personæ privilegiatæ quoad forum, item Ecclesiæ, etc.; hoc ipso res emphyteutica in commissum caderet, *L. fin. C. de Jur. Emphyt. c. fin. c. cit.* MOLINA D. 459. 2^o. *Si dominus non declaraverit*; si enim, denunciatione facta, declararet statim se ipsum rem suam redimere nolle, illa duorum mensium expectatione, cum cesset expectandi ratio, haud opus est.

139. *Quæres*: Quid sit libellus, et superficies?

R. 1^o. Libellus, sumptus pro jure sic dicto libellario, est dominium utile, quo vasallus, vel emphyteuta subinfendat, aut subemphyteuticat alium. Posse vasallum subinfendare alium in feudo accepto, pariter cum obligatione obsequiorum personalium sibi vasallo exhibendorum a subinfendato, juris est satis clari, et diximus num. 62. Neque ad hoc consensu domini directi vasallus indiget, juxta Constit. CONRADI Imperatoris. Aliud est de subemphyteuticatione, ad quam necessarius est domini consensus, adeo ut sine eo habita facta ipsam emphyteusin faciat cadere in commissum, cum sit vera alienationis species, et nusquam in jure a pœna privationis excepta.

R. 2^o. Superficies est dominium utile alieni soli, saltem ad decennium gratis, vel cum onere concessum, vi cujus in eo edificare, plantare, serere liceat. Si concedatur infra decennium, erit elocatio. Jus hoc vero se tantum ad soli superficiem extendit. Hinc superficiario non competunt, quæ in solo infra ejus superficiem sunt, ut metalla, lapides, etc. Finita lapsu præfixi temporis superficie, cum hac simul domino cedunt, quæ superficiei inhaerent; hac tamen lege, ut, cum sint melioramenta justa, dominus pro iis reddat superficiario pretium. Si res sint ejusmodi, quæ facile a solo separantur, velut tabernæ mercatorum, etc. domino non cedunt, eo quod pars soli non sint, quales censentur res aliæ, quæ ab illo nequeunt commode separari.

CAPUT I.

DE JURE HÆREDITARIO.

Hæreditas considerari potest dupliciter, 1^o. *Objective* et materialiter, estque ipsa bonorum defuncti tam corporalium, quam incorporalium, ac jurium universitas. 2^o. *Formaliter*, estque ipsum jus hæreditarium, juris realis species consideratu dignissima, de quo nunc disseremus, simulque propter rerum affinitatem, de iis, quæ cum jure illo nectuntur, vel illud quoquo modo comitantur.

ARTICULUS I.

QUID HÆREDITAS? HÆRES ET QUOTUPLEX? HÆREDITATIS ADITIO ET SIMILIA?

140. *Dico I.* Hæreditas formaliter sumpta pro jure hæreditario, est jus succedendi in omnia defuncti jura, *L. 8. ff. de R. V. L. 62. ff. de R. I.* Id ut intelligas, observandum: Hæreditas *nondum adita*, sen jacens, fictione juris, defuncti vicem sustinet, et personam repræsentat, *L. 34. ff. de A. R. D.* Ratio hujus fictionis fuerunt servi hæreditarii, contenti inter res defuncti, qui alias nihil potuissent acquirere, non domino antiquo, utpote defuncto; nec hæredi, quia ante aditam hæreditatem, is nondum est hæreditatis dominus; ut igitur hi possent acquirere, eorumque actus vires haberent, voluerunt leges, ut interim, donec hæres adiret hæreditatem, hæc defuncti personam sustineret, sique servus hæreditati tanquam personæ factæ acquireret, *L. 34. cit. juncta L. 33. præc. ff. eod. et L. 52. ff. de Hæred. instit.* Sed postquam adita est hæreditas, hæc, quæ ante aditionem defuncti personam sustinuerat, *post aditionem*, fictione juris, hæredis personam *retro* a tempore mortis sustinuisse censetur; sic enim intelligenda *L. 24. ff. de Novat.*

Dictum vero 1^o. *Jus*, scilicet incorporale et indivisibile; etsi enim hæreditas objective sumpta, ut dicemus, divisionem recipiat; non tamen sumpta pro jure. Hinc si vendas hæreditatem illam sumptam pro jure complectente bonorum et jurium defuncti universitatem, ac deinde res singularis evincatur, emptori de evictione non teneris (*L. 1. C. de Evict.*) eo quod non censearis res singulas vendidisse, sed jus incorporale, quod tibi certo competeat. Similiter dum hæreditatem adis, ea quidem tunc pleno jure tua fit; non tamen idcirco continuo res singulæ, *L. 208. ff. de V. S.* Unde fit, ut si quæ detineantur ab alio, eas vindicare non possis, sed tantum consequi petitione hæreditatis.

Dictum 2^o. *In omnia defuncti jura*; possessio enim rerum, quam habuit defunctus, et quæ sunt *facti*, non ipso jure ad hæredem transmittuntur; nec eatenus hæreditas defunctum repræsentat. Hinc ex delicto defuncti ad pœnam hæres non tenetur, licet defuncti delictum noceat hæredi, ut præscribere tempore ordinario non possit, ut dicitur suo loco. Vid. num. 188.

141. *Dico II.* Hæres est, qui vel ex voluntate testatoris vi testamenti, vel ex dispositione legis in omnia defuncti jura, tam activa, quam passiva, commoda et onera, sive obligationes succedit, *L. 37. ff. de acquir. vel omitt. hæred. L. 39. ff. de R. I.* Dividitur varie:

1^o. Alius est *institutus*, qui vi testamenti ex voluntate testatoris; et *ab intestato*, qui dispositione legis, deficiente instituto, succedit in defuncti jura.

2^o. Alius est *necessarius*, qui sine justa exhæredandi causa, a testatore excludi non potest, sed necessario debet institui, vel expresso nomine exhæredari. Tales hæredes sunt liberi; et, his deficientibus, nepotes, aliique in linea recta descendentes, ac demum, etiam his deficientibus, ascendentes in eadem linea, *§. Inst. de exhæred. liber.*, qui tamen de jure prætorio et novo, non sunt amplius necessarii, ita ut hæreditatem repudiare non possint, *§. 2.*

Inst. cit. Alius *extraneus*, sive voluntarius, qui neque necessario debet institui, nec adire hæreditatem necessario, sed præteriri potest, uti et repudiare hæreditatem oblatam sine aliquo suo incommodo.

Porro ex hæredibus necessariis alii dicuntur *sui*, suntque illi, qui tempore mortis testatoris in hujus patria potestate existunt, ut liberi nondum emancipati respectu patris, §. 2. *Inst. de Hæred. qualit. et differ.* Item nepotes, existentes in patria potestate avi, modo tempore mortis avi primum obtineant gradum, vel saltem delatæ hæreditatis, ut si pater eorum esset præmortuus. At hodie vi consuetudinis, cum per nuptias liberi exeant e potestate patris, nepotes jure *suitatis* non fruuntur. *Suitatis* hoc speciale privilegium est, quod hæres suus, qui ab aditione hæreditatis abstinuit, si minor fuerit, per integrum septennium a tempore, quo major factus, eam repetere possit; si major, per triennium, modo res nondum distractæ sint, *L. fin. C. de repud. vel abstin. hæred.*

3°. Hæres ex testamento rursus alius dicitur *institutus*, prout substituto opponitur, estque ille, qui in testamento primo instituitur; alius *substitutus*, qui secundo vel tertio vocatur ad hæreditatem, in locum deficientis instituti. Substitutus iterum varius est pro varietate substitutionis. Unde

Dico III. Substitutio alia est *directa*, quæ fit verbis directis, sive ubi hæreditas, deficiente hærede instituto, sive quod hic nolit, sive non possit hæreditatem adire, recta via, hoc est, *immediate* a testatore pervenit ad substitutum, ut si testator diceret: *Instituo hæredem Caium; si hic hæres non erit, Mævius hæres esto.* Alia *indirecta*, vel *obliqua*, quæ fit verbis obliquis, vel precativis, sive ubi hæreditas *mediate*, per manus scilicet hæredis, qui eam a testatore restituere rogatus, pervenit ad substitutum, ut si diceret testator: *Caius hæres erit, quem rogo, ut hæreditatem restituat Mævio*, scilicet vel totam, vel quotam illius. In hac substitutione hæres institutus, dicitur *fiduciarius*, cujus velut fidæi testator hæreditatem committit; et quia hæc substitutio fideicommissum confinet, substitutus hæres *fideicommissarius* appellatur. Differunt autem ambæ substitutiones, 1°. quod directa in testamento fiat, *Inst. pr. de Vulg. Substit.*; indirecta, etiam in codicillis, quia in his fideicommissum, non tota hæreditas relinqui potest, §. 2. *Inst. de Codicill.*, ac dicitur suo loco. 2°. In priore tota hæreditas transit ad substitutum; in altera ipsi detrahitur quarta trebellianica, §. 7. *Inst. de Fideicomm. hæred.* De qua rursus alibi plura dicemus. 3°. In prima locus est juri accrescendi, etiamsi substituti non sint conjuncti, *arg. L. 53. §. 1. ff. de acquir. hæred.* In secunda non, nisi re, aut verbis sint conjuncti, quia in hac non vacat portio deficiens, sed remanet apud hæredem institutum. *САРЗОВ. P. 3. c. 2. Def. 19.* De indirecta hic nondum plura dicendi locus est, sed ubi de ultimis voluntatibus, ac quidem fideicommisso disseremus.

Directa rursus alia est *vulgaris*, quæ fit vulgo, h. e. communiter a quocumque testatore hæredi cuicumque, in eum casum, si hæres institutus defecerit, vel hæres non erit. Alia *pupillaris*, qua pater impuberi in sua potestate constituto, hæredem substituit, qui illi succedat, si impubes moreretur. Alia *exemplaris*, sic dicta ab exemplo pupillaris, ad cujus normam est introducta, qua a patre vel matre, vel alio ascendentium substituitur alius liberis mente captis, vel alia de causa testari a lege prohibitis; in eventum, quo in tali statu morerentur. Alia *reciproca*, qua instituti sibi invicem sub-

stituuntur; ut: *Caius et Mævius erunt hæredes mei; alterutro autem deficiente, alter habebit hæreditatem totam.* Dicitur etiam *breviloqua*, quia brevibus concepta verbis. Alia *compendiosa*, quæ plures pro diverso tempore substitutiones complectitur, ut: *filium meum hæredem instituo, eique, quandocumque obierit, Caium substituo*; hæc enim substitutio vulgaris est, si filius moriatur ante patrem; et pupillaris, si post patrem in ætate pupillari; et exemplaris, si amens factus in pubertate decedat.

Demum *pupillaris* alia *expressa* dicitur, quæ fit sub expressa conditione, si filius hæres fuerit, et in ætate impuberi decesserit, *pr. Inst. h. t.*; alia *tacita*, quæ fit sub vulgari substitutione filio familias explicata; ut: *si filius hæres non erit, Caius erit.*

142. *Dico IV.* Aditio hæreditatis est actus legitimus hæredis extranei, sive verbis, sive factis declaratus, quo quis hæreditatem admittit. Dicitur etiam *agnitio*, si voluntatem suam declaret verbis; si factis et aliis signis, ut distrahendo res hæreditarias, solvendo debita, etc. *pro hærede gestio*. Si sit hæres *suus*, *immixtio*; is enim non tam acquirit, quam hæreditatem jam acquisitam retinet, eique se immiscet solum.

Repudiatio hæreditatis e contra est declaratio vel verbis, vel factis, vel signis facta, hæreditatem sibi delatam non admittendi. Si sit hæres *suus*, proprie *abstentio* dicitur, et solum repudiatio respectu extranei. Singulæ declarationes tam aditio et immixtio, quam repudiatio et abstentio absolute sine conditionibus fieri debent, eo quod actus legitimi, quales ii sunt, conditionem non recipiant, *L. 77. ff. de R. I.*

143. *Dico V.* Effectus quocumque modo *aditæ hæreditatis* sunt: 1°. *Acquisitio juris et dominii omnium rerum*, quas hæreditas complectitur. 2°. *Quod, qui hæreditatem adiit, eam transmittere possit ad hæredes proprios*; secus est, si non adiit, etsi delata fuisset, *L. Unic. C. de caduc. tollend.* Excipiunt tamen Jurisconsulti: si adire non potuisset; item: si mortuus fuisset intra annum, qui ad deliberandum concessus. 3°. *Obligatio solvendi æs alienum defuncti, implendi obligationes, etsi vires hæreditatis excedant, ut legata, fideicommissa, etc.*; verbo: in omnia commoda et onera defuncti subintrat. Hinc, quia hac ratione periculosa est hæreditatis aditio, pupillis sine tutorum consensu est prohibita; sed si pupillus sit infantiam, sive septennium egressus, utriusque, et pupilli et tutoris consensus requiritur, *L. 5. C. de Jur. deliber.*; solius vero tutoris, si pupillus infans sit.

144. *Si dicas* 1°. Si tantam contrahat obligationem hæres; ergo respectu cujuslibet periculosum est adire hæreditatem, quia debita defuncti latere possunt, et incertum, annon hæc hæreditatem superent.

R. D. Seq. Periculosum est adire sine deliberatione, ac sine *beneficio legis*, sive confectione inventarii *C.* Cum his *N.* Propter hoc periculum, ne promiscue spernerentur hæreditates, leges cuilibet concedunt integrum deliberandi annum, *L. 19. C. de Jur. deliber.* Ac quoniam experientia docuit, sæpe post annum emersisse latentia debita, aliud beneficium indulgere leges, jus conficiendi *inventarium*, si hæres velit; quod legitime confectum hæc habet annexa privilegia: 1°. Hæres ita hæreditatem adiens non tenetur

creditoribus ac legatariis solvere ultra hæreditatis vires. 2º. Neque attendere, quis creditorum habeat jus prælationis; ut solvere possit primo venienti, modo id faciat bona fide. 3º. Hæredi conservat actiones suas, quas ipse contra defunctum habuit, ut cum creditoribus cæteris paris fortunæ sit. 4º. Potest deducere falcidiam, sive quartam bonorum partem, si legata exhaurirent hæreditatem; quod tamen ad trebellianicam non extenditur, ut hanc amittat sine confectione inventarii, ut dicitur, ubi de ultimis voluntatibus.

Dixi tamen: *legitime confectionem*; nam 1º. debet fieri *justo tempore*, id est, intra tres menses a die, quo hæredi innotuit sibi delatam esse hæreditatem, computandos, sic quidem, ut intra primum mensem inchoetur, intra duos reliquos absolvatur, *L. fin. §. 1. 2. 11. C. de Jur. deliber.* nisi absint hæredes, aut bona in diversis territoriis sita sint; sic enim integer annus a tempore mortis ad perficiendum inventarium conceditur, *L. fin. cit. §. 2. 3. 2º.* Fiat *legitimo modo*; ita scilicet, ut adhibeatur *notarius*, aut cui alias id commisit magistratus, *L. fin. cit. §. 2.*; item illi, quorum interest, citentur, creditores, legatarii, ut adsint inventario, et tamen, si absint, coram testibus minimum tribus fieri possit, *Nov. 1. c. 2. §. 1. 3º.* Ut *hæres nomen suum subscribat*, vel si scribere non possit, specialem adhibeat notarium, qui loco ipsius coram testibus subscribat. *L. fin. cit.*

145. *Si dicas* 2º. Potest quis hæreditatem partim adire, partim repudiare; ergo repudiatione saltem non amittitur hæreditas simpliciter. *Prob. Ant. Ex L. 20. C. de Jur. delib. in fin.* necessitas imponitur hæredi particulari facto, vel aliam, aut alias partes hæreditatis admittere, vel etiam substitutionem pupillarem; ergo supponitur hæredem posse alterutrum solum admittere.

R. N. Ant. Quia, ut clare dicitur §. 5. *Inst. de hæred. instit. neque enim idem ex parte testatus, et ex parte intestatus decedere potest.*

Ad prob. Ant. R. Etsi ita extet in plerisque editionibus, Jurisconsultorum tamen consensu legendum esse, *non admittere*, quia alias disjunctio non cohæret cum præcedentibus: *placuit enim nobis sive in institutione, sive in pupillari substitutione; ut vel omnia admittantur, vel omnia repudiantur, et necessitas, etc.* quibus clara asseritur data responsio.

146. *Si dicas* 3º. In hæredibus suis et legitimis non est necessaria aditio *L. 14. ff. de suis et legit. hæred.* quia ipso jure statim hæredes sunt; ergo neque immixtio.

R. C. Ant. Quia hæres suus absque additione sive acceptatione fit statim rerum hæreditariarum dominus, et fictione juris censetur esse persona eadem cum patre in vita, ac post mortem patris, non hæreditatem, sed bonorum administrationem liberam videtur consequi. At *N. Cons.* Quia sine immixtione non succedit in omnia defuncti jura tam activa, quam passiva, quod est proprie hæredem esse.

147. *Si dicas* 4º. Si hæredi suo sit necessaria immixtio; ergo non differret ab hærede necessario non suo, neque ab extraneo.

R. N. Seq. Nam 1º. hæres extraneus ante additionem hæreditatis delatæ,

nullum habet in ea jus, sed tantummodo jus illam acceptandi. Secus est de hærede suo ex ante dictis. 2º. Hæres necessarius non suus, sive filius emancipatus, qui exivit e patria potestate facto hominis, non dispositione legis, non gaudet privilegio suitatis quoad transmissionem hæreditatis; at eo gaudet hæres suus, nec ex solo privilegio juris, sed æquitate naturali.

Neque obstat *L. 18. §. 1. C. de legitim. hæred.* qua hæredes necessarii tam sui, quam non sui, æquiparati videntur; non enim ibi æquiparantur perfecte quoad omnia; alias enim sublata dici deberet emancipatio; et in emancipato facto patris duraret adhuc potestas patria. Igitur æquiparantur 1º. Quod emancipatus possit modo succedere patri de jure civili. 2º. Quod ipsi debeatur legitima sicut nondum emancipato. 3º. Quod legitima æqualis sit respectu utriusque. 4º. Quod iisdem eam remediis possit consequi, ac quidem per 30. annos; neque nunc excludatur unius lapsu anni.

148. *Si dicas* 5º. Si ad additionem, vel immixtionem necessaria sit declaratio; ergo furiosus, pupillus infans, sive nondum egressus septennium, non possent hæreditatem consequi.

R. D. Seq. Non possent per se ipsos *C.* per alios *N.* Pupillus infans eam per tutorem consequitur; furiosus per curatorem jure novo, *L. 7. §. 3. C. de Curat. fur. licet, spectato jure veteri, L. 90. ff. de acquir. hæred.* ne quidem per curatorem hæreditatem potuerit consequi.

Si dicas 6º. Pupillus potest sine auctoritate tutoris repudiare hæreditatem, vel ab ea abstinere; ergo etiam sic adire.

R. N. Ant. Regula enim est, quod qui hæreditatem adire, vel ei se immiscere non potest, etiam eam repudiare, vel illa abstinere non possit, *L. 18. ff. de acquir. vel omitt. hæred.* Hactenus relata juris satis certi et clari sunt, quibus proin et juris et exercitii gratia quasdam, quæ remanere videntur, controversias visum subijcere.

ARTICULUS II.

QUID LEGITIMA? AN FILIUS HÆRES INSTITUTUS A PATRE POSSIT REPUDIARE HÆREDITATEM RETENTA SOLUM LEGITIMA?

149. *Nota I.* Hæredes necessarii non debent necessario institui in substantia, vel massa tota hæreditaria; quia nimis durum foret testatoribus; non habere liberam de rebus suis dispositionem; nec facultatem de aliis bene merendi, vel bene merentium obsequia compensandi, etiam inter ipsos hæredes necessarios. Sed satisfaciet testator, si hæredibus necessariis relinquat legitimam, sive illam bonorum portionem, quæ illis jure debetur. Pro qua cognoscenda

Nota II. Tota massa hæreditaria dividitur in uncias, sive partes 12. Duæ uncia dicuntur *sextans*, quasi sexta pars: tres uncia, *quadrans*, sive quarta pars: quatuor uncia, *triens*, tertia pars: quinque uncia, *quincunx*: sex uncia, *semis*, vel *semissis*, sive media pars: septem uncia, *septunx*: octo uncia, *bes*, id est, bis triens: novem uncia, *dodrans*: